bas qui non eras? Qui ergo fecit te ſine te, non te iu-
ſtificat ſine te. Ergo fecit neſcientem, iuſtificat volē-
tem. Tamen ipſe iuſtificat, ne ſit iuſtitia tua, ne redeas
ad damna, ad detrimenta & ſtercora, inuenire in illo
non habens iuſtitiam tuam, quæ ex lege eſt, ſed iuſti-
tiam per fidem Chriſti, quæ eſt ex Deo: *Iuſtitia ex fide
ad cognoſcendum eum & virtutem reſurrectionis eius, & com-
municationem paſſionum eius*: & ipſa virtus tua erit, com-
municatio paſſionū Chriſti, virtus tua erit. Quid au-
tem erit in communicationibus paſſionum Chriſti, ſi
charitas nō erit? Nonne inueniūtur torti latrones in